

qui fertis vasa Domini. Domini etenim vasa ferunt, qui proximorum animas ad aeterna sacraria perducendas in suae conversationis fide suscipiunt. Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad aeternitatis templum vasa viventia in sinu propriae sponsionis portant. Hinc divina voce praecipitur, ut in Aaron pectore rationale iudicii vittis ligantibus imprimatur: quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationis fluxae possideant, sed ratio sola constringat: nec indiscretum quid vel inutile cogitet, qui ad exemplum aliis constitutus, ex gravitate vitae semper debet ostendere quantum in pectore rationem portet. In quo etiam rationali vigilanter adiungitur, ut duodecim Patriarcharum nomina describantur. Adscriptos etenim patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla patrum praecedentium indesinenter intuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat, et cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem tendat. Quod bene etiam rationale iudicii vocatur: quia debet Rector subtili semper examine bona malaque discernere, et quae vel quibus, quando vel qualiter congruant, studiose cogitare: nihilque proprium quaerere, sed sua commoda propinquorum bona deputare. Unde illic scriptum est: pones autem in rationali iudicii doctrinam et veritatem, quae erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino, et gestabit iudicium filiorum Israël in pectore suo in conspectu Domini semper. Sacerdoti quippe iudicium filiorum Israël in pectore coram Domini conspectu gestare, est subjectorum causas pro sola interni iudicis intentione discutere, ut nihil se ei humanitatis admisceat in hoc quod divina positus vice dispensat, ne correctionis studia privatus dolor exasperet. Cumque contra aliena vitia aemulator ostenditur, quae sua sunt exequatur: ne tranquillitatem iudicii aut latens invidia maculet, aut praeceptis ira perturbet. Sed dum consideratur terror ejus qui